

20. Diximus Episcopo spectare jus recipiendi resignationes. Hinc non Vicario Generali nisi ex licentia speciali Episcopi hoc illi fuerit concessum *c. ult. de Off. Vic. in 6º*. Cum etiam Capitulum sede vacante et hodierno more Vicarius Capit. licet habeat potestatem destituendi Clericum delinquentem a beneficio, quoniam vero non potest beneficia conferre liberæ collationis, quia privati juris sunt Episcopi; hinc sequitur eundem non posse recipere resignationem beneficiorum hujusmodi. Arg. *cap. 1. De rebus non alien. in 6º*. Ita *Pirhing n. 74. Reiffenst. h. t. n. 7.* et alii. Ex eadem ratione e converso accepta sequitur, sede vacante Vicarium Capitularem recipere posse renunciationem in beneficiis quæ sede plena conferuntur simul ab Episcopo et a Capitulo. Ex jure enim non decrescendi, deficiente Episcopo, hæc beneficia conferre potest Capitulum; et cæteroquin Vicarius Capitularis potest Clericum beneficio privare. Unde in Vicario Capitulari concurrunt duo extrema quæ requiruntur in superiore ad recipiendam renunciationem. Sequitur pariter, Vicarium Capitularem posse acceptare renunciationem beneficiorum juris patronatus, quorum institutio spectat ad Episcopum. Beneficia enim hæc non sunt liberæ collationis, et institutio Clerici præsentati non censetur actus liberalitatis, novo Episcopo reservatus, sed est actus necessariæ et ordinariæ jurisdictionis, quæ Vicario Capitulari competit.

21. Communiter ab Auctoribus refertur dispositio cit. *Const. S. Pii V. 'Quanta Ecclesie'* edita 1. Aprilis 1568. quam fuse interpretatur Benedictus XIV. *De Syn. Diæces. L. 13. c. 24.* In hac constitutione S. Pius V. prohibuit, quominus Episcopus vel alius ordinarius collator in cujus manibus resignatio beneficii facta est, beneficium hujusmodi conferat suis aut resignantis consanguineis vel affinibus aut familiaribus. Sacra autem Congr. Concilii interrogata ab Episcopo Cremonensi, cujus resolutio probata a Gregorio XIII. ex *Lib. 1. Decretor. pag. 445.* excerpta refertur a Bened. XIV. *l. c. n. 4.* tenuit, sub Piana prohibitione comprehendere etiam beneficia parochialia, quæ per concursum conferuntur. E contra vero juxta mentem ejusdem S. Congr. in quæstione proposita ab Archiepiscopo Mechliniensi an. 1683. pro certo teneri potest, sub prædicta prohibitione non comprehendere permutationes beneficiorum quæ fiunt coram Ordinario, dummodo non fiunt contra sacros canones et fraus omnis absit. Ita Bened. XIV. *De Syn. Diæces. loc. cit. n. 8. et seqq.* Præterea teste Pirro Corrado *lib. 5.*

*Praxis beneficior. cap. 1. n. 50.* eadem S. Congr. Concilii, approbante Gregorio XIII. declaravit, Pianam constitutionem non extendi ad resignationes beneficiorum juris patronatus. Quoad enim hæc beneficia jure communi receptum est, ut ille instituatur qui fuerit præsentatus a patrono, dummodo sit idoneus.

22. Huc referenda est etiam regula Cancellariæ Apostolicæ 19. quæ dicitur *De viginti* vel *de infirmis resignantibus*. In ea ad evitandum præjudicium S. Sedis et Ordinariorum, quod derivare posset ex renunciationibus in favorem tertii factis ab infirmis, quæ solent fieri ex fraude, statutum est, ut si quis infirmus resignet beneficium vel commendam sive in Romana Curia sive extra, et intra viginti dies ex eadem infirmitate moriatur, collatio beneficii facta consequenter ad renunciationem sit nulla, et beneficium censeatur vacare per obitum infirmi resignantis.

23. Nunc de renunciationibus conditionatis. Et primo quidem in renunciationibus condiciones seu pacta de aliquo temporali dando prohibita sunt tanquam simoniaca *c. 5. h. t. et c. 23. de Simonia ex Extrav. 'Cum detestabile' eod. inter commun.* Unde Doctores tradunt simoniacum esse pactum inter resignantem et resignatarium de reficiendis expensis resignanti, quas toleravit aut litigando aut ob alias causas in assecutione beneficii et tolerabit in dimissione beneficii ipsius. Hisce præmissis, videamus, quid dicendum sit de aliis conditionibus.

Conditio potest esse in favorem renunciantis, vel in favorem tertiæ personæ. Pariter conditio vel potest respicere integrum jus beneficii, vel partem fructuum, idest pensionem.

24. Conditio in favorem renunciantis respiciens jus beneficii sub triplici denominatione enunciatur, nempe accessus, ingressus et regressus. Conditio accessus adest, cum quis renunciat juri quod in facto completum non habet, et hoc jus inchoatum sibi reservet; ingressus, cum jus quis habet beneficii completum, sed beneficium revera non possidet; regressus verificatur, cum quis beneficii juridicam etiam possessionem nactus fuerit. Accessus ad Beneficium illi competit qui jurepatronatus passivi jure munitus est, vel nominatus a patronis, potest petere a Superiore ecclesiastico ut in Beneficio instituatur. Hinc accessum sibi reservat, qui juri ex vocatione vel ex nominatione sibi derivanti renunciat, et permittit ut alius Beneficium consequatur sub ea conditione, ut ad ejus nutum Beneficium relinquere teneatur, ut ipse ad Bene-

ficium illud accedat. Reservat ingressum qui legitime nominatus et institutus vel provisus per collationem de beneficio, eidem renunciat ut alius beneficium consequatur sub ea conditione beneficium ipsum relinquendi, cum priori placuerit, qui possit beneficium assequi, et in possessionem ingredi beneficii ejusdem. Reservat sibi regressum qui nominatus et institutus vel provisus Beneficium possidet et legitime renunciando sinit illud ab alio obtineri sub conditione, ut illud ad ejus voluntatem deserat, ut iterum regredi possit ad idem beneficium.

25. Præter conditionem in favorem renunciantis, dantur etiam conditiones in favorem tertii, quæque dicuntur fieri cum clausula *non aliter*. Scilicet renuncians non intendit velle se spoliare jure suo, nisi in illud jus succedat determinata ab eo persona.

De hisce omnibus renunciationibus dicendum est, fieri non posse jure communi coram Episcopo vel Superiore qui summo Pontifice sit inferior. Nam quod spectat ad conditionem pensionis, ea interdicitur ex rubrica *tituli 12. in Lib. 3º*. qui inscribitur '*Ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur*', quæ dispositio roboratur *capp. 26. et 36. de Præbend.*

26. Quoad vero conditiones accessus, regressus et ingressus prohibitio aperta exhibetur in *C. Trid. sess. 25. de Ref. c. 7.* Ex lege ergo generali vetantur hæ conditiones, nec ab auctoritate quæ in jure communi nequit dispensare, possunt admitti. Idem dicendum de conditione in favorem tertii. Ratio vero prohibitionis harum conditionum in sui et aliorum favorem deducitur ex earundem conditionum ordinaria indole, quæ videtur induere rationem hæreditariæ successionis in beneficiis, a qua successione vehementer Ecclesia abhorret: *cap. ad extirpandas de Filiis Presbyt. et citº. sess. 25. c. 7. de Ref. in Conc. Trid.*

Omnes ergo supra expositæ renunciationes conditionatæ non nisi illi superiori, qui in jure communi potest dispensare, legitime proponi possunt, ab eoque acceptari. Ergo non Episcopus, non alius Superior Papæ inferior potest istas renunciationes acceptare. Animadvertendum vero est, hic sermonem esse de vera conditione, quæ nempe dirigitur ad actum suspendendum, et ponitur ea intentione ut nisi servetur, renunciatio fieri nolit. Nam vetitum non est, renunciationem pure proponere ac simul enixe episcopum adprecari, ut determinatam personam ad beneficium promoveat.

27. Quæritur, utrum idem dicendum de renunciatione conditionata ex causa permutationis; id est cum beneficium possidentes renunciant sub ea tantum conditione ut unus in alterius beneficium instituatur. Certe si fiat permutatio hæc auctoritate privata, non solum non valet, sed permutantes amittunt sua beneficia saltem post judicis sententiam *c. 7. De rerum permut.* Verum valet hæc renunciatio si fiat coram loci Ordinario et ex legitima causa sine præjudicio tamen, id est cum consensu eorum qui jus haberent conferendi, eligendi, præsentandi. Qui loci Ordinarius potest permutationem permittere ex *cap. 5. De rerum permut. ex cap. un. eod. tit. in 6º.*, et ex *Clem. un. eod. tit.* Animadverti vero debet permutationem talem intelligendam esse de beneficio ad beneficium, idest, ut ait *cap. 5. cit. De rer. perm. de loco ad locum*, non vero de beneficio ad pensionem. Porro beneficiorum permutatio non admodum odiosa censetur in jure quemadmodum aliæ renunciationes conditionatæ; fieri enim potest ad majorem spirituales utilitatem ipsorum clericorum et fidelium, quam beneficiarius ratione sui muneris potest respicere.

28. Excipiuntur tamen renunciationes reciprocæ in filios illegitimos presbyterorum et renunciationes quæ dicuntur triangulares vel quadrangulares licet permutationis speciem induant. Reciprocæ generice in suos renunciationes contingunt, cum ex. gr. Titius resignat beneficium in favorem propinqui Caji, et hic resignat beneficium suum in favorem propinqui Titii. Concilium *Trid. sess. 25. c. 15.* absolute reprobavit hasce resignationes si ageretur de filiis illegitimis clericorum, quos eorum parentes in propria beneficia immittere vellent contra sacror. canonum decreta, quæ hæreditariam successionem in beneficiis condemnant. Resignationes triangulares et quadrangulares ex causa permutationis fiunt, cum tres Clerici vel quatuor sibi mutuo resignant beneficium proprium cum hac lege, ut prior cedat beneficium in favorem secundi, secundus in favorem tertii atque ita porro, et ultimus in favorem prioris. Hæ pariter permutationes prohibentur quia redolent speciem pactionis præviæ inter privatas personas, quæ conventio labem Simonix saltem juris ecclesiastici redolere videtur *c. 5. De rer. permut.* Licet vero permutationes istæ reciprocæ prohibeantur; tamen potest tractatus prævius fieri a clericis, ita tamen ut obligatio ulla ex eo non oriatur. Quare Clerici isti debent in manibus Episcopi Beneficium proprium pure et simpliciter renunciare.

Possunt vero eidem prævium tractatum exponere, illumque adprecari ut beneficia iterum eisdem renunciantibus juxta prævium tractatum concedat *c. 7. de transact.*

29. Ex Constitutione Gregorii XIII. quæ incipit *'Humano via judicio'* edita nonis Januarii 1583. resignationes et permutationes quæ fiunt in manibus Ordinarii debent intra mensem vel admitti vel rejici, et provisi tenentur eas publicare et beneficii possessionem capere intra tres menses a die factæ provisionis sub pœna ipso facto secutura nullitatis provisionis et beneficii. Qui providentur de beneficio vel per resignationem vel per permutationem factam apud S. Sedem, debent sub eadem pœna prædictam publicationem exequi et possessionem capere intra sex menses citra montes, intra novem menses ultra montes a data concessionis gratia. Ita in cit. Const. Gregorii XIII. quam constitutionem confirmavit Benedictus XIV. in Const. quæ incipit *'Ecclesiastici'* diei 15. Junii 1740. At Reiffenstuel *h. t. n. 135.* notat cum Garzias *part. II. de Beneficiis cap. 3. n. 289.* gregorianam constitutionem quoad resignationes et permutationes Beneficiorum non esse ubique usu receptam.

30. De effectibus renunciationis. — Primarius effectus ex quo omnes fere alii inferuntur est ut acceptata per Superiorem renunciatione, censeatur beneficium vacare. Quare renuncians amittit titulum beneficii et omne jus quod habebat, ita ut quoad beneficium reputetur tanquam mortuus. Hinc 1º. renuncians solvitur ab omnibus obligationibus beneficio adnexis, sive quoad pensiones quibus fortasse beneficium gravatur, sive quoad officium et residentiam. Hinc 2º. non amplius sese immiscere potest in beneficii administratione, nec fructus percipere, nec officium exercere. Et si nolit recedere a beneficio, potest compelli ad deserendum beneficium resignatum *c. 12. h. t.* Immo nec renuncianti datur pœnitentiæ locus, qua possit ad beneficium regredi *c. 3. h. t. et can. 'Quam periculosum' caus. 7. q. 1.* Ratio datur ex principio generali admissio in *c. 16. De Elect.* Qui juri suo semel renunciat, non potest postea ad illud redire. Cæterum hæc dicta sunt de renunciatione spontanea prout statuit *c. 6. h. t.* Nam si renuncians petat iterum suum beneficium, impugnans factam renunciationem quatenus ea fuerit vi vel metu extorta, audiri debet *cap. 5. h. t.*

31. Renunciatio autem acceptata non impedit quominus renuncians ex novo titulo, ex. gr. ex electione possit beneficium iterum consequi. At id non intuitu prioris possessionis et juris, cui nuncium dederat, sed ex nova vocatione et nova collatione canonica *capp. 2. et 3. h. t.* Ex quo consequitur Clericum ad beneficium iterum admissum non consequi jura præcedentiæ vel prioritatis in tempore, sed ultimum locum inter æquales occupare debere.

## TITULUS X.

## De supplenda negligentia Prælatorum.

1. Cum negligentibus Prælati inferioribus in Clericis ad beneficia vel munia ecclesiastica assumendis, ex ecclesiastico jure, Prælati superiores beneficia conferant hinc in tractatu de personis ad officia ecclesiastica promovendis agit B. Raymundus de supplenda negligentia Prælatorum. Ut vero res plenius tractaretur, non tantum agit in titulo de negligentia Prælatorum supplenda in collatione beneficiorum, sed etiam in administranda justitia. In sensu autem tituli non est negligentia confundenda cum crimine Prælati, nam ad abusus corrigendos ex crimine aliquo ortos dantur alia remedia juris. Sic etiam est distinguenda ab excessu in usu potestatis. De excessibus enim Prælatorum corrigendis agit *tit. 31. in Lib. 5.* Hic ergo negligentia significat omissionem eorum ad quæ tenetur Prælati sive ex jure sive ex consuetudine ratione beneficii sui, ac potestatis qua gaudet. Can. *'Negligere' caus. 2. quæst. 3.* Negligentia corrigenda vel respicit collationem beneficiorum, vel administrationem justitiæ. Ex quo sequitur in titulo nomine Prælati seu Superiorum proprie non quemlibet Prælatum intelligi, sed eas personas intelligi quæ jurisdictione vel administratione in Ecclesia gaudent, vel jure aliquo pollent in beneficiis conferendis.

2. Hisce positis sit primum de supplenda negligentia Prælatorum in collatione beneficiorum. \* Cum diu beneficia vacare non debeant, persolvenda enim sunt officia sacra in Ecclesia; definitum est tempus in jure sive ad præsentandam personam idoneam, sive ad electionem Prælati celebrandam, sive ad collationem beneficii perficiendam. Videlicet ex *cap. 2. et 5. De Concess. Præb.* tempus utile ad conferenda beneficia liberæ collationis est semestre.